



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 20. Articulus de residentia propositus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

„dum diploma de conditionibus huic
„dignitati necessariis., Huic articulo
nil opponeretur, post eum vero propo-
situm de Episcopis eligendis sermo erat
in hoc scripto, ubi rogabatur Cæsar, ut
eandem ipse rationem de iis haberet,
qui ad ipsius nominationem promove-
rentur. Hanc in rem Cæsar prolixam
dissertationem exhibuit, recensitis con-
ditionibus, quibus ex hominum pruden-
tum ac Religiosorum sententia opus
haberet is, qui sacras Insulas susciperet;
denique Imperator differebat de nimia
licentia, quæ in Clericorum collegia
irreperat ex eo, quod eorum complu-
res Episcoporum potestati subtraheren-
tur. His Legatus reposuit, ea omnia
in Synodo expensum iri, jamque ab ea-
dem in suis decretis de reformatione
prospectum esse.

§. XX.

Articulus de residentia propositus.

Postea summus Pontifex circa articu- *Pallav. n. 121*
lum de residentia subjungi præce-
pit, quod hæc quæstio, si residentia
juris divini foret, haud inutilis crederetur,
ac maluisset Pontifex, ut nunquam
hæc controversia fuisset excitata, dum
tamen ea jamjam agitari cæpta est, æ-
qui, bonique se consulturum promitte-
bat Papa, ut residentia declararetur ne-
cessaria

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

cessaria, insuper spondebat, se curaturum, ut hæc lex ab ipsis etiam Cardinalibus observetur: ad hæc reposuit Cæsar: „Tametsi fatius forte fuisset ab initio „quæstionem illam prætermitti, nunc „tamen eo deventum est, ut nefas esse „videatur ipsam dissimulare, cum præter decreti promulgationem aliud non „desit: id vero necessarium censetur, „ut, cujuscunque sit juris sive divini, „sive humani, intelligant Episcopi, se ad „residendum obstringi, de quo, si nihil „decerneretur, fortasse dubitarent. „Ad hæc breviter Legatus operam ejusmodi a se sponderi respondit.

§. XXI.

Papæ excusatio de sua a Tridentino Concilio absentia.

Denique postremus hujus mandati articulus complectebatur rationes, ob quas summus Pontifex Tridentum venire præpediebatur, quamvis Cæsar illum eo ire invitasset: porro hæc rationes ad sequentia capita redigebantur, ac primo causabatur suam senectutem, ac sanitatem minus firmam. II. Obtendebat Papa rigidam Tridentini aeris inclementiam: III. dicebat, quod locus omnis a Concilio occupetur, adeoque capax haud foret duplicis aulae tam amplæ. IV. Prætexebat indignita-